

**AB**

**136170**

als OT <sup>lo</sup>  
ws  
Augustinus

DE POENI-  
TENTIA DISPVVTATIO  
MATHIAE LAUTER.  
uualc Elbingensis. Die 8. Aprilis  
mane hora septima in Colle-  
gio novo Vitebergæ

A N N O.

1553.



# DE POENITENCIA

## Disputacio.

I Inicium ueræ Pœnitentiæ, est non simulatus dolor de peccatis admissis, cum proposito emendationis in præsentí efficace in bonis operibus pædagogicis in Christum pro circumstantijs tum incidentibus & emergentibus. Propositum uero emendationis de futuro neglectis rebus in præsentí agendis uel omittendis non pœnitentiæ inicium, sed procrastinatio & hypocrisis pœnitentiæ Deum tentans dicendum est. Maxime uero istud Papisticorum confessariorum consilium diabolicum detestandum est, quod dicit, uiuentes in actualibus peccatis contra conscientiam habere bonum propositum, si cogitent se uelle ea peccata omittere si possent. Cogitacio enim, de bono proposito sine cohibitione loco motiuæ in præsentí, nullo modo est bonum propositum, sed hypocrisis impudentissima.

II Etsi autem uerum dolorem pro circumstantijs semper sequuntur, aliqua signa

signa in externis actionibus, ut lachry-  
mæ, confessio peccati, & meritarum  
pœnarum. Item subiectio ad obedien-  
tiam in pœnis, tamen nemo ex signis  
externis, de alterius uero dolore saluta-  
ris pœnitentiæ coram Deo, aliquid cer-  
to affirmare potest, uel ex multitudine  
eorum iudicare de magnitudine pœni-  
tentia. Multo minus illa signa per se  
sunt habenda pro ipsa uera pœnitentia,  
aut statuendum quasi ex parte saltem fa-  
tis faciant pro peccatis aut mereantur ali-  
quid condonationis in pœnitentia. Fi-  
unt enim suo insito ordine doloris pro  
circumstantijs, nec subiacent præceptis.  
Nam Maria Magdalena in sua pœni-  
tentia flet, Latro in cruce fleuisse non  
legitur.

III Hunc non simulatum dolorem de  
admissis peccatis uoluntas per se eli-  
cere ex sese non potest, nisi hypocritice  
ex parte saltem si non ex toto, Per sese  
enim delectatur adhuc admissis pecca-  
tis nec ab illis abhorret inclinatione, eti-  
amsi facietate languidior est uel honesto  
ciuili mota statuit amplius hoc non ad-

A ij mittere

mittere, ne incidat in pœnas aut intami-  
am. Pœnitentia igitur eam peccati, uelut  
famelicum fame fere necatum pœnitentia  
liguri uisse cum suis charissimis furtiuas  
lauticias cibi regij, magnis sumptibus uix  
aliunde allati, ut iam iam in pomposa  
cœna inter reges sumeretur. Nec talis  
elicta actio caret hypocrisi, etiamsi ho-  
mines uirgis se cædant, aut alijs modis  
corpus lacerent uel crucient, ut magno  
conamine uel aliquas lachrimulas extor-  
queant, Post plagas mox inhiant prio-  
ribus peccatis, sperantes talibus castiga-  
tionibus a peccatis sedenuo liberari pos-  
se. Tantum pietatis habent ista opera  
operata talis pœnitentiæ.

III Voluntas igitur sine uerbo Dei,  
uel auersa à uerbo Dei, medendo  
peccatis auget mala, ut uoluntas Daui-  
dis à uerbo Dei auersa suis consilijs post  
admissum peccatum nitens, ac ciuili pu-  
dore mota cupiens regere peccati poli-  
ticam infamiam, inuoluit se maiori scel-  
leri homicidij, Cogitans ita fore te-  
ctum suum magnum peccatum, ac se  
postea uelle probiorem esse, ita in hy-  
pocrisi

pocrisi quiescit magnitudo suorum peccatorum.

V Ciuile autem studium uoluntatis elicientis bonum propositum amplius non peccandi loco motiva, et si sine uerbo Dei propter naturae corruptionem non caret uel aliqua hypocrisi, nec per se proficit ad ueram pœnitentiam, tamen est necessarium omnibus ad disciplinam ciuilem retinendam, quæ hominem per se nec damnat nec arcet aditu Christi, ut neglectio huius disciplinæ Ideo Deus ab omnibus hanc disciplinam requirit, & eam præstare possunt si serio admittantur suos malos affectus dolore affidentes. Immo Deus hanc disciplinam adiuuat addens hominibus singulares motus naturales & edit perspicua exempla tam pœnarum quam præmiorum, ut illis hominum animi afficiantur in disciplinam, & sentiant cruciatus contraria facientes.

VI In illo dolore habentes uerbum Deilucernam pedibus nostris petamus singuli sicut Ieremias, Conuertere me, & conuertar. Et erigamus non hic  
A iij dictie

mis  
elut  
itet  
uas  
uix  
osa  
alis  
ho  
odis  
gno  
or  
rio  
ga  
os  
era  
  
ei,  
do  
ui  
ost  
ou  
oli  
ces  
tes  
se  
ny  
risi



dictis, quanto magis Pater uester cœlestis Spiritum sanctum dabit pententibus & similibus.

VII Verus igitur dolor pœnitentiæ, necesse est ut à Deo uel naturali ordine uel supernaturaliter per uerbum reuelatum imprimatur à Deo, & dicitur sensus iræ Dei, ut est uidere in historia Dauid, quomodo consternetur ad uerba Nathan Prophetæ, postq; ipse suo iudicio damnauerat se capitis, initatus motu uehementissimo, ibi primum sentit non simulatum dolorem pœnitentiæ.

VIII Hic dolor ita impressus ardens legis illustriori noticia pro actione diuersarum uoluntatum diuersa efficit, in his dolorem salutaris pœnitentiæ iniçium, in illis cruciatum æternarum pœnarum principium, hoc dicitur tristitia carnis ad mortem, illud contrastatio spiritus sancti in pœnitentiâ.

IX Ille enim famelicus fur lautorum ciborum non contristatur de suo furto, nisi adducatur in iudicium capitale uel illud uereatur, cum contrastatur uel simpliciter

pliciter propter pœnam non autem propter suum factum, immo iudicat sibi iniuriam fieri se suspendi, uel agens pœnitentiam, agnoscit suum malum factum ac de illo dolet fatens uere se meritum tales pœnas, uerum petit pœnarum mitigationem, ac promittit ueram non simulatam emendationem.

X Julianus apostata à Christo prostratus cogitur propter magnitudinem doloris fateri se esse à Christo uictum. Sed tamen ille dolor non efficit principium pœnitentiæ, ut se Christo subiçiat agnoscens suum peccatum cum pœdagogico proposito emendacionis in præsenti, ut facit Paulus à iudicante Christo prostratus ac reprehensus, cum ait, quid me uis facere Domine. Hic in istis doloribus offert se ad obediendum Deo, iste uero etiam in præsenti dolore non desistit à peccato, sed contumelia afficit filium Dei.

XI Diabolus igitur assidue pressus sensu iræ Dei non dicitur pœnitentiam agere uel habere inicium pœnitentiæ, sed hæret in pœnis æternis sine ullo

A iiiij propo.

propolito ueræ emendationis immo ar-  
det odio Christi acerrimo quod alij pro-  
pter illum gratis recipiantur, se uidens  
prorsus rejectum.

XII Iudam uero ait Mattheus cap. 27.

Pœnitentia ductum retulisse ar-  
genteos, quod extiterunt in eo signa  
contritionis pro incidentibus circum-  
stantijs, nempe abiectione iniustæ merce-  
dis, non simulata confessio peccati, tes-  
timonium iusticiæ Christi publicum  
etiam coram hostibus Christi in templo,  
ac uellet se non admisissè tantum scelus,  
non pergit ita blasphemare palam Chris-  
tum ut Julianus. Sed quod Iudas non  
integræ & ueram agit pœnitentiam, id  
sit propter præcedentes & sequentes  
causas, quibus dubitat & diffidit in des-  
peratione bonitati & misericordiæ Do-  
mini nostri Iesu Christi.

XIII Nam sine lucente notitia Euani-  
uangelij gratia spiritus sancti præ-  
eunte, & sine fidutia unici mediatoris  
tuente se eius solo merito in isto acerbo  
sensu iræ Dei, nemo consistere potest.

Quicumq;

**XIV** *Quicunque igitur tibi liberi ar-  
bitrij elicitis operibus conantur in  
eo iudicio sine uerbo Dei seu spreto con-  
silio Dei reuelato, mederi nihil profici-  
unt, sed subinde magis se excruciant ac  
minus certi fiunt de uoluntate Dei, im-  
mo desperant tandem uel fiunt Epicu-  
rei.*

**XV** *Etsi igitur de uera pœnitentia ui-  
detur recte dictum, eam non am-  
plius admittere non admittenda, nempe  
peccata contra conscientiam, tamen id  
nihil est dicere sine commemoratione  
causæ, qua iste dolor sedetur, & nouitas  
inchœetur atque Deo placeat.*

**XVI** *Hoc enim certum est, omnis qui  
manet in pœnitentia seu conuer-  
sione ad Deum, ita cōercet loco moti-  
uam, ne ad mittat peccatum contra con-  
scientiam. Sed non contra omnis qui  
non habet peccata actualia contra con-  
scientiam, is est in uera pœnitentia  
& conuersione ad Deum ut illi uere pla-  
ceat, propter illam pœdagogiam etiamsi  
necessæ est eam præcedere remissionem  
peccatorum, uel saltem in cōtritione ne-*

*A v pœdagogia*

pædagogie neglectione arceatur a nobis  
Spiritus sanctus, cum perseueramus pæ-  
dagogia contempta in peccatis actuali-  
bus. Iste enim latro tactus sensu iræ Dei  
in cruce neglectis operibus pœdagogi-  
cis quæ tum in præsentí facienda incide-  
bant, nequaquam potest accipere remis-  
sionem peccatorum perseuerans in  
actualibus peccatis. Hic uero latro bre-  
uiori pœdagogia legis eruditus non ne-  
gligit illa opera perseuerans in actuali-  
bus peccatis, sed tamen sine illis operibus  
pœdagogicis, id est, non propter illa o-  
pera pœdagogica iustificatur seu accipit  
remissionem peccatorum.

**XVII** Pœnitentes enim non resisten-  
tes uerbo Euangeliū, accipiunt sola  
fide Christi remissionem omnium præ-  
teritorum peccatorum & inhærentis  
morbi, propter solum meritum Christi,  
ut amplius non peccent actualiter, sed  
inhærenti morbo repugnantes, obse-  
quantur spiritui sancto, qui simal cum  
remissione peccatorum datus, ut eos  
continue renouet ad imaginem eius qui  
creauit eos, & in hac miseria existat &  
paracletus

Paracletus interpellans pro nobis gemi-  
tibus inenarrabilibus, & arrabo uitæ  
æternæ in quo accedentes ad thronum  
gratiæ, clamenus abba Pater in Christo,

XVIII. Et si autem pædagogica opera  
legis in Christum sicut ipsa uita  
corporalis cum suis fomentis necessario,  
uel saltem in contritione, præcedant re-  
missionem peccatorum pro circumstan-  
tijs tum incidentibus, tamen sunt tantum  
necessarium antecedens propter Dei  
ordinationem discernentem inter im-  
pœnitentes & pœnitentes in præsentि  
oblata gratia præeunte, quos regenerans  
non prorsus agit immediare per coacti-  
onem sine assensu uoluntatis libero. Ne-  
cessere enim est, illud fieri quod Iesaias in-  
quit. Dominus Deus aperit mihi aurem,  
ego autem non contradico, retrorsum  
non abi. Nullo fero modo opera pœ-  
dagogica sunt uel causa efficiens, uel dis-  
ponens seu meritoria iustificationis, Si-  
cūt 1. eccl ipsa uita nostra quæ necessario  
Dei ordinatione præcedit est talis causa,  
nec potest tale aliquid in nobis esse  
Mendici eum sumus carentes gloria

Dei.

Dei. Ideo mereri non possumus quicque  
coram Deo, quantum ad iustificatio-  
nem & uitam æternam.

**XIX** Inter opera autem pædagogica  
ex parte mortua, ex parte morbi-  
da ante acceptam remissionem peccato-  
rum, & inter uiua opera renouationis  
post accepram remissionem peccatorum  
magna est differentia, quantum ad cau-  
sas, modum & finem.

**XX** Quantum, ad formæ differentia-  
m fere ita se habent, ut sermo A-  
postolorum ante donationem Spiritus  
sancti die Pentecostes, ad donum noua-  
rum linguarum;

**XXI** Sicut igitur in dono linguarum,  
sermo Apostolorum proinde ali-  
quid patrium prioris sermonis referebat,  
ita & nostra opera renouationis post  
remissionem peccatorum in hac imbe-  
cillitate inclinante ad priora peccata, su-  
binde indigent priori pædagogia ne in  
nobis donum spiritus extinguitur

**XXII** Quapropter cum sacra scriptu-  
ra de operibus loquitur utriusco  
generis opera intelligenda sunt. Item cū  
principit

præcipit pœnitentiam agere, uel iubet  
ut conuertamur ad Dominum iuxia il-  
lud, Conuertimini ad me, & ego con-  
fertar ad uos. Huc referatur cap. le-  
hezkel. 18. in quo dicitur. Quare mos-  
riemini domus Isræl. Quia nolo mors-  
iem morientis dicit Dominus, reuerti-  
mini & uiuite, ut igitur immutabilis or-  
do huius doctrinæ magis confirmetur  
eadem repetuntur Cap. 33. 34. & 36.  
Quod singulariter obseruetur ut com-  
mentarium, nempe cur Deus promis-  
tat remissionem peccatorum pœnitent-  
ibus, non propter ipsorum dignitatem  
aut merita, sed propter unicum pasto-  
rem, de quo dicitur cap 34. & 36. di-  
serte inquit. Non propter uos ego faci-  
am domus Israel, sed propter sanctum  
nomen meum, de quo scilicet Acto. 4.  
dicitur. Non est aliud nomen sub cœlo  
datum hominibus in quo oporteat nos  
saluos fieri.

**XXIII** Si igitur opera ab ipso Deo  
præcepta in pœnitentia nihil  
merentur uel satisfaciunt pro peccatis,  
muklo minus tale aliquid præstant opera  
*satis*

satisfactionum nostro arbitrio electa uel  
Papæ arbitratu constituta, ut iste nuga-  
torius ludus indulgentiarum locum ha-  
beret.

**XXIII** Talia enim opera & quæcumq;  
fiunt opinione meriti remissionis  
peccatorum sunt abominatio in conspes-  
tū Dei qd Deo affingant προσωποληψία.

**XXV** Nullæ enim satisfactiones pro  
peccatis coram Deo uel in hac ui-  
ta uel in conficto purgatorio ponendæ  
sunt, præter sacrificium Christi una enim  
oblatione consumauit sanctos.

**XXVI** Sed tamen Deus ut exerceat fi-  
dem non hypocriticæ pœnitentiæ  
in hac uita certis delictis admissis etiam  
postq; remissa sunt, ordinat certas pœ-  
nas, quas paruo momento patienter fer-  
re gratius Deo est propter Christum,  
quam si ipsi nobis centuplum pœnarum  
eligeremus. Frustra enim colitur Deus  
mandatis hominum, Aliquando uero  
Deus & culpam & pœnas temporales  
remittit simul.

**XXVII** Remissio enim peccatorum  
in pœnitentia non pendet uel à  
magnitu-

magnitudine contritionis uel à magnitudine pœnarum subsequentium multo minus ab illa elicita conuictione & confessis satisfactionibus, nulloq; modo ab impossibili enumeratione omnium delictorum, quæ præsumptuose & impiò fine exigitur in contumeliam meritorum Christi, à quibus solum pendet omnis certitudo nostræ remissionis non ex opere operato fidei, aut ullius sacramenti

## XXVIII Recle igitur de Pœ: dis: 1.

Omnis: dicitur, Sicut circumcisio data est Abrahæ in signum iustitiae non causa iustificationis, sic confessio offertur sacerdoti in signum uenientiae acceptæ non in causam remissionis accipiendæ, quantumuis Canonistæ, scholastici, sententiarij, tales & similes ueteres synceriores canones elusionibus & tricis ex alienis imaginationibus ortis cauillentur.

## FINIS.

NI

M.

Ex

FINI

136778

X 1378946

VD 17



## Farbkarte #13

Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
Black

Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

B.I.G.

DE POENI-  
TENTIA DISPUTATIO  
MATTHIAE LAVTER,  
uault Elbingensis. Die 8. Aprilis  
mane hora septima in Colle-  
gio nostro Vitebergx

A N N O.

1553.

